DE
SINGULARI NEVROSI

DISSERTATIO

JOANN. SEMMOLA M. D.

SCIENT. MED. PROF., MAGNI INCURAB. NOSOCOMII MED., AC. MEDICO-CHIRURG., REG. INSTIT. SCIENT. NATUR., AC. PONTANIANAE SOCII., etc. etc.



NEAPOLI,
Typis Josephi Severinc
MDCCCXXX.

EQUITI ALOYSIO SEMENTINI

DE CHEMIÆ IN ARTE SALUTARI USU

BENEMERENTISSIMO

CLINICAM HANC OBSERVATIONEM

IN ÆGRORUM STATIONE AB IPSO MODERATA

COLLECTAM

IN CULTUS ET OBSERVANTIÆ ARGUMENTUM

AUCTOR

D. D. D.

Latent miri animi nostri cum corpore commercii . . . . . leges. Ignoramus prorsus eas, quarum ope commercium hoc peragatur, partes; ignoramus qua se lege et tangant, et moveant, et iterum sistant.

De Haën — Rat. medendi.

DE SINGULARI NEVROSI
DISSERTATIO.

PHAENOMENA plane mira systematis nervei nullo nunquam tempore physiologorum studium lacessere. Quin eadem obstacula, quae eorum operam intercipere debuerint, ipsam vehementius excitasse videntur. Nostra potissimum memoria exortum veluti certamen videtur inter insignes sapientia viros ad id explicandum quod ad multiplices ejusdem partes et arcanas actiones pertinet, atque ad singulas ejus rationes examinandas plura veteribus ignota prorsus afferuntur. Sane anatomica et physiologica pulpae nervosae investigatio est hodie quam olim fuerit nasutior, exactior: prolata est per comparationem ad majorem

animalium eadem praeditorum partem: in iisdem animantibus est instituta, sed alias hoc, alias illo tempore incrementi ipsorum, tum in sanis, tum morbo aliquo laborantibus: quaesitum quoque de relationibus naturam inter, latitudinemque sensilium phaenomenorum, eorumque motus, cum discrimine, statu, et evolutione partium in quibus ea observari contingit. Hinc Anatome, Physiologia, Pathologia, amico inter se foedere copulatae, lumenque e physicis, et psychologicis in dies mutuantes, nervorum doctrinam in solidiorem scientiae formam paullatim promovent. Inde naturae scrutatores assidui, oculatissimique partium compagis nervosae tum officia, tum alterius ad alteram nexum, tum suum cujusque, si cum aliis conferatur, discrimen in apricum ponunt, oculisque subjiciunt. Hujusmodi sane contentiones tam audacter intendere conjecturarum vim non sinunt, ut in lucem pro-

feratur reconditum commercium, quod inter spiritum, et ipsam nervorum pulpam locum habet, sed locum facultatemque sperandi praestant fore tandem, ut compago et officia nobilis illius materiae, quae Dei Sapientissimi providentia eo creata est consilio, ut illam principii intelligentis et immortalis opportunum redderet instrumentum, luculentius dignoscantur.

Nunc non ea mente quidem ut novum describamus morbum, sed tantum ut esponamus casum, quo illustrari queant officia et consensus diversarum partium nervearum, nedum caussae, quae possent eadem perturbare, in animum induximus, ut publici juris faceremus nostras quasdam observationes in morbum admodum singularem et novum, quo se praebebat adfectum systema nervorum ad locomotionem comparatorum, quemque in Incurabilium nosocomio nobis sorte obtigit, ut felici quidem exitu curaremus.

Kalendis septembribus superioris anni (1828) in altera ingentis ejus nosocomii statione, adolescentem invenimus octodecim annos natum (*), qui eo se contulerat opem aliquam suae quaerens infirmitati, quamvis nullam primo intuitu praeseferret. Juvenis iste erat strenuus bajulus, victitans ferenda aqua, florente corporis habitu, temperamento sanguineo, nulloque adhuc morbo laboraverat. Itaque in lectulo decumbebat, et hoc plane mirabamur, qnod aegrotaret, cum mihi primum interroganti ille responsum dare conatus, vix vocis sonum proferre coeperat, cum vehementi et generali convulsione correptus fuit. Isthaec convulsio tandiu mansit, quamdiu contentio et expletio vocis sive verbi quod edere optabat. Redibat vero quoties aeger conabatur quidquam

(*) *Huic nomen Aloysius Esposito. Nunc in via S. Thomae Aquin. domicilium habet.*

pronunciare, vel nostris percontationibus etiam atque etiam necessariis respondere. Mirandum hic erat quod ejus convulsionis modus aut diuturnitas ejusdem vocis cessatione finem habebat. Jam nemo non videt aegri verba spasmo tam generali comitata aegre potuisse a nobis intelligi, neque prae motibus convulsivis maxillae et linguae satis libere proferebantur. Atque hoc pacto morbus quippe semper ex àegri voce exoriens ipsius suberat arbitrio. Et sane ubi gravioribus conflictabatur convulsionibus ipse sibi silentium imperabat, et ea ratione ad sanitatis statum revertebatur. Reapse haec morbosa adfectio cum caeteris functionibus oeconomiae animalis nullatenus cohaerebat adeo ut priori infirmitatis biduo aegrotus, Pythagorae praeceptis religiose obtemperans, operas et labores pro suae vitae instituto facile obiret. Sed tandem ubi sensit morbum suum non intermitti, die, quam ante ostendimus,

ad illum nosocomium accessit cum IV. Kal. Sept. in morbum incidisset.

Jam enunciandum videtur quaenam ratione convulsiones istae prodebantur, quae plane ratio omnino singularis et insolens visu mihi fuit. Siquidem sub hujusmodi nevrosi manebant sensus semper integri, semper inoffensa intelligendi facultas, respiratio sat naturalis, palpebrae vix contrahebantur cum faciei musculis, circuitio sanguinis vel sub vehementioribus accessibus nullam patiebatur turbationem. Adhaec digestionis apparatus normalis; neque ullo dolore percellebatur aegrotus. Itaque quum, ex edendae vocis incepto, nevrosis excitabatur, morbosa foenomena ad motus convulsivos membrorum et trunci tantummodo redigebantur. Hae autem convulsivae motiones constabant rapidis vibrationibus extensivis, quibus fiebat ut truncus arrigeretur, et collum cum capite in ipsius trunci lineam tensum leviter

quidem sed rapide quateretur; cum vero membra se porrigerent et tenderentur, tetani potius rigiditatem praeseferre videbantur. Hujus spasmi vi brachia ad latera, inter se crura accedebant: sed hujuscemodi convulsiones manus itidem participes non fiebant, quandoquidem iis saevientibus, digiti, cum tendi deberent ut caetera membra, in pugnum contrahebantur. Ut effigiem aliquam horum phaenomenorum spasmodicorum ob oculos ponamus exemplum afferre non possumus adcomodatius, quam quod exhibent ranae, ubi, uti decet instructae, Galvanico ictu subjiciuntur; pedes enim hujuscemodi animantium dum tenduntur et vigent, quatiuntur. Imaginem hujus convulsionis agnoscimus quoque in motibus artificiosis et celeribus scientiorum saltatorum, ubi enixius oscillantes pedibus altius ab humo se attollere conantur. Ad summum in hac morbosa adfectione motibus clonicis praedo-

minari videntur tonici, phaenomenonque dici recte posse — *clonicismum tetanicum*.

Quamvis vero inusitatus esset ipse morbus et vehementes ejusdem accessus, nihilo secius erat mirabilis et repentina ejus intermissio. Nam cessante voce, convulsio quoque omnis sistebat, et patiens mali quo laboraverat duntaxat memor ad statum redibat integrae sanitatis.

Hinc instituto sermone de caussis, e quibus ejusmodi originem sumsisset infirmitas, ex narratione ipsius aegroti, tum necessariorum illius, illud conjicere potuimus, metum scilicet gravem paucis ante morbum diebus aegro inlatum, fuisse illius causam exteriorem pluris faciendam. Neque hercule persuadere sibi poterit quisquis aestimat caussarum moralium in oeconomiam nostri corporis vim, ex occasione illa morbum de quo hic agitur produci minime potuisse. Saltem, deficiente quovis alio exteriori influxu, monstratae caus-

sae maxima omnium habendea est ratio. Verumtamen in dignoscendis morbis examen exteriorum caussarum, quae iisdem occasionem dederint, admodum raro eorumdem naturam explanant rationemque medendi. » Exorto jam morbo, externisque ejus caussis jam submotis, opere pretium est nosse potius *proximam conditionem*, quae illum in corpore retinet, secus enim nullo prorsus pacto rite adhiberi queat ars salutaris ». Quocirca aestimantes hinc aetatem, et sanguineum et acre temperamentum infirmi, oculos, faciem fervida, pulsus validos, functiones quasque vigentes, normales; illinc morbi symptomata attendentes, quae cerebralem stimulum nisi generalem, at partis alicujus certe indigitibant, nullo negotio statuimus localem hypersthenìam nervei systematis, quamvis laevem, constituere caussam morbi proximam, atque adeo morbum ipsum, qui symptomatibus modo memoratis palam sese

faciebat. Id unum reliquum erat ut sedem ipsam hypersthenia constitueremus, tum ut morbum ipsum penitius introspiceremus, tum ut nobis ad curandum illum viam muniremus expeditiorem.

Extra omnem dubitationis aleam positum videtur conditionem morbosam nerveo systemati haerere, tum quodvis aliud organum aut textum incommodis morbi esse expertia: sed si ex inspectis symptomatis statuere lubeat quae pars potissimum sit adfecta, inficiendum non est inter densissimas tenebras, quibus obteguntur adhuc, et forsitan obtegentur aeternum functiones systematis cerebro-spinalis, vix fore ut vel per impensissimas investigationes nobis aliquantulum lucis oboriatur. Cerebrum, ejusque involucra, cerebellum, medulla oblongata et spinalis procul dubio congestione vel irritatione generali erant expertia: hoc saltem nullo prodebatur phaenomeno. Pars ipsa sensorii communis, ubi

animus invenit instrumentum liberrimi cujusque voluntatis actus, morbosa conditione immunis esse debebat omnino, siquidem nullo prorsus impedimento conficiebantur, ubi aeger novas inire cum rebus externis relationes in animum induxerat. Ac proinde qua pertinebant nervi, tum ex spina, tum ex cerebro prodeuntes, omnia normali statu gaudebant.

Excipienda tantummodo sunt nervea filamenta quae ab octavo pare ad laryngem progrediuntur, et quorum opera voluntatis nutu vox editur. Qua de causa judicari recte potest nerveos hosce ramos duntaxat adfectos esse, verumtamen minime in trajectu ipso, nec qua cum nervis pneumo-gastricis copulantur, quoniam et vocis, et sermonis functio erat integra, morbusque constituebatur ex permolesta adsociatione quam inibant motus normales nervorum recurrentium cum nervis spinalibus et encephalicis motioni de-

stinatis. Et quemadmodum haec societas locum habere debebat in ipso nervorum ortu, quia voluntas ejusdem effectibus modum ponebat, ita inferendum est pathologicam conditionem ea *mesocephali* parte haerere, ex qua radices postremae recurrentium nervorum simul cum nervis motionis emanant. Quoniam vero in naturali statu voluntas solam vocem efficiens haud excitat alios sanos motus, multoque minus morbosos, colligitur hinc in sanitatis statu quamvis facile factu sit varios motus voci adjicere ipsius voluntatis opera, motus illos esse aeque finitos et moderatos. Atque idcirco conditio morbosa aliqua in parte medullae oblongatae haerebat, vi cujus simul atque anima communicabat motus vocem imperantes, fiebat in illa vehemens et abnormis excitatio, qua de re vehementes abnormes et inviti motus in organis ad *loco-motionem* comparatis excitabantur — Interim licet theoriam hanc

nostram exhibeat nobis indubiam ista ratio argumentandi : nihilominus cum nondum penitus dignoscamus singularum partium encephali functiones, cumque in recentiorum operibus audaces tantummodo nisus ad jacienda prima veluti fundamenta *organologiae* cerebralis intueamur ; id libenter tribuimus domicilium certum morbi, locumque, ubi excitatio imperans vocem tantas in nervos motores turbas et spasmos cieret, definiri adamussim non posse. Hac de re, historiolam hanc eximiis nostri temporis physiologis ob oculos ponimus, eoque libentius, quod novum minimeque spernendum problema ipsis exhibere videtur enodandum ad occultas illustrandum vias, quibus animi mandata in organismum permeant, quaeque ob novas et *innormales* organorum encephali conditiones, crebro in mirum insolentemque modum exterius manifestantur. Caeterum clinicos non decet nos aegrius

hanc inscitiam ferre, quippe cum medendi rationes, quae proponuntur, sunt fere semper eaedem.

Interea cernere est hujusmodi adfectionem cerebralem, ejusque consensum cum actibus vocem imperantibus nova omnino esse, vel tam raro oeconomiam humani corporis adorta esse, ut tam multos inter observatores, qui eam delinearit, adhuc repertus fuerit nemo. Aliunde ne minimam quidem similitudinem prodit cum aliis nevrosibus comparata. Quin tantum interest inter hanc et illas, ut maximo ex iis distet intervallo nedum quampiam earum referat imaginem. Id unum animadvertendum est imaginem caeteroquin incompletam hujus morbi a quibusdam pueris exhiberi, qui in proferenda voce patiuntur ex illo conamine motus abnormes, violentos. In ipsis prout contenditur excitatio imperans vocem, profertur eadem inordinate ad alios etiam motus. Atque haec phaenomena no-

va offundunt luce relationes actionis, quae intercedunt inter diversa elementa systematis encephalici Intelligentiae subjecti.

Quonam autem vocabulo morbum istum signabimus ejus discernendi gratia ab innumeris pathologicis adfectionibus, quae vel interimunt omnino, vel perturbant nerveam hominis compagem? Nos plus quam decet Nosologorum consnetudini minime tribuentes qui multiplicant jam nimias *symptomatum classes*, easque albo adjiciunt morborum, neque nova vocabula procudendi libidine ad eos nuncupandos solliciti, libenter hic praetermisissemus verbum proponere, quo de agitur, signaturi, si facile indigitatu fuisset, certum et proprium mali domicilium. Verum cum id fieri nondum possit, obsoleto mori indulgendum duximus, ut illum vocabulo deprompto a phaenomenis praedominantibus et peculiaribus, seu, uti ajunt pathognomonicis, indicaremus. Ac proin-

de illud perpendentes, convulsiones in hoc morbo oriri cum voce, quam aeger edere conatur, proponimus graecum vocabulum » *phonospasmiam* » eumdem signandum.

Sed haec hactenus de morbi diagnosi, atque aetiologia. Ad ejus prognosin, et therapiam, tum eorumdem exitum currenti calamo proponendum, gradum faciamus. Cum statuerimus morbum in *hypersthenia* cerebrali, et quidem circumscripta esse positum, et attendentes eum non ita pridem ortum sui originem caussae morali, quae jam evanuerit, acceptam referre, haud difficilem fore curatu in animum induximus, atque hanc nervorum excitationem, quamvis nerveae pulpae adhaereret, neque constitui, neque comitari vitiis organicis, sed solis molecularum oscillationibus et *dynamismo hypersthenico*, vel, ut alii loquuntur, *vitalitate* simpliciter elata — Haec plane secuti principia ad statuendam mor. bi medicinam gradum facimus non sine spe illum in ipsis incunabulis edomandi.

Quare ex cognita morbi sede et natura deducta therapia, ne ipsi nobiscum pugnare videremur, venae sectionem ad resolvendam morbosam irritationem in primis necessariam duximus. Et quoniam systema sanguineum suo ipso naturali robore nervosam adfectionem tuebatur, brachii venam incidendam primo putavimus quod quidem protinus factum est, sed nullo fere probando exitu. Caeterum ne vestigium quidem ab eodem proposito discedentes novas sanguinis emissiones praecipere non desivimus, quas recta e capite fieri per hirudines jussimus. Humor enim circumiens imminutus universe satis erat. Itaque die venae incisionem insequente, hirudines multas tum ad tempora tum ad occiput apponendas aegro curavimus, quarum opera affatim cruoris exhaustum. Ex hac locali copiosi sanguinis missione meliorem exitum expectabamus, quandoquidem in irritationibus definitis, quaeque

in plethorici se produnt, emissio sanguinis ad partem adfectam, praeeunte sectione generali, morbi remissionem constituit. Et sane, mirabile visu! prout cruor ex punctiunculis manabat, testabatur aegrotus, et res ipsa nostris sensibus subjiciebat ejus malum gradatim imminui. Hoc pacto aliquot post horas loqui aeger coepit cum convulsionibus minus plane vehementibus, et tandem novem, ad summum decem horarum elapso spatio cum nondum omnino defluxisset sanguis e morsiunculis, aeger prorsus convaluit, et liberos edit sonos motionibus etiam liberis sociatos, ut nobis quoque ex animo gratias agere, quod in sanitatem a nobis, Deo auxiliante, restitutus esset.

Hoc casu, qui proinde felicior fuit quam ut spes nostrum subjisset animum, praescripta a nobis praeterea alia remedia ad quaerendum medelae exitum salutarem; at inchoata vix ista erant, si purgationem